

**Singulares quasdam observationes circa mercurii usum internum exponit  
C.L. Friis / [Christian Lodberg Friis].**

**Contributors**

Friis, Christian Lodberg, 1699-1772.  
Holm, Georg Nicolai.  
Københavns universitet.

**Publication/Creation**

Hafniae : Typis Joh. Georg. Höpffneri, [1750]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/mfh42srg>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

97  
29219/P

SINGULARES QVASDAM  
OBSERVATIONES  
**CIRCA MERCURII USUM**  
**INTERNUM**  
LOCO  
DISSERTATIONIS ANNIVERSARIÆ  
PUBLICO EXAMINI  
EXPOΝIT  
**CHRISTIANUS LODBERG FRIIS**  
MED. D. ET P. P. O.  
RESPONDENTIS PARTES  
SUSCIPIENTE  
**GEORGIO NICOLAO HOLM**

*Phil. Bacc. & Phys. St.*  
IN AUDITORIO SUPERIORI



Die 23 Septembris M. DCC. L.

h. a. m. f.

•••••  
HAFNIAE,  
Typis Directoris SACR. REG. MAJESTATIS & Univ. Typogr.  
JOH. GEORG. HÖPFNERI.

GRGA MAM CURI US  
MUNICIPAL

DISSEMINATIONIS  
GUMMAZIENSIS  
TYPICAE


ANSWER OF THE

BUCH WALD

Imprimantur

J. B. von BUCHWALD, Dr.





## PROEMIUM.




Nihil æqve Philosophorum di-  
vexavit ingenium, qvam disquisi-  
tio de Mercurio ejusqve partibus  
constitutivis & intima mixtione;  
sed post longas ambages nihil aliud  
inde emanavit, nisi meræ conje-  
cturæ & externarum qvarundam mercurii qva-  
litatum descriptio. Nec mirum, cum vix aliud  
in rerum natura mixtum adeo homogeneous,  
& in partes constitutivas non separandum exi-

A

stat,

stat, ac idem ipsum: nam licet in minutissimos atomos facile dividi possit, tamen id semper in aggregato fit, & quælibet pars naturam suam retinet, ita ut ipse mercurius sit & maneat. Hinc pro elemento a quibusdam habitus est; sed potius productum naturæ & originis metallicæ esse liquet. Mera certe jactantia esse videtur, quod Helmontius scribit: *Quandiu mercurius revivificari potest, non est remedium boni viri.* Nam ex quovis præparato mercuriali, adhuc noto, mercurius revivificari potest, &, nisi in præparatione ante evolaverit, idem semper fieri posse verosimile est. Non obstante tamen hac difficultate in principiis vel elementis mercurii detegendis, summa illius energia in variis affectibus refractariis corporis humani debellandis satis innotuit, & innumeris experimentis jam dudum confirmata est. Mihi etiam, in praxi sat copiosa antea versato, contigit varia circa usum mercurii internum observare, & per repetita experimenta discere, quæ forsitan ad ubiorem praxeos medicæ illustrationem aliqvid conferre possunt: ex quibus singulares quasdam observationes de mercurii dulcis usu in quibusdam affectibus faucium se-

legi, qvæ dignæ mihi visæ sunt, ut uberius hac Dissertatione explanarenrur. Sederat qvidem animo inceptam antea telam pertexere, & de morbis ætatum porro agere; sed variæ causæ, eæqve non levis momenti, me impulerunt, ut seriem illam tantisper interrumperem, & de hisce in præsenti agerem. Totam autem pertrationem in tria capita dividere commodum visum est, ita ut I<sup>mum</sup> Generalia qvædam præmissa circa mercurium contineat, II<sup>dum</sup> varios ejusdem usus in diversis corporis humani affectibus, & diversa illius præparata ostendat, & III<sup>tium</sup> deniqve singularem Mercurii dulcis usum in qvibusdam affectibus faucium, cum tribus casibus practicis annexis, sistat: de qvorum fide eo minus dubitare fas est, qvo facilius mihi suppetit luculenta de illorum certitudine testimonia afferre. Deum interim T.O.M. obsecramus, ut hæc omnia in nominis sui gloriam & proximi salutem dirigat.



## CAPUT I.

### Generalia quædam præmissa circa Mercurium sistens.

#### §. I.

**Q**uid per nomen Mercurii intelligendum sit, nemo facile, ut opinor, in dubium vocabit: nam licet denominatio hæc non nisi analogiæ cuidam imaginariæ inter planetam & metallum hujus nominis innitatur, tamen Mercurii nomen jam usu ita invaluit, ut nullo alio frequentius vel usitatius appelletur; unde & illud ipsum retinere voluimus. An metalli nomine recte insigniatur, vel an potius semi-metallum, aqua metallorum dicendus sit, jam litem meam non facio: a multis tamen inter metalla refertur, licet semiperfectum potius quam perfectum

fectum metallum esse videatur. Vocatur alias argen-  
tum vivum a fulgore suo argenteo & tremula fluiditate,  
qua gaudet; a Græcis, ut Dioscoride, ὑδραιγυρον vel  
ὑδραιγυρος, quasi argentum aqueum, ab Aristotele &  
Theophrasto ἀργυρον χύτον item ἀργυρον κίνητον, argentum  
fusum, mobile appellatur. Cætera arabica, mystica  
&c. nomina merito præterimus, cum de vocabulis  
sollicitos esse vix refert.

## §. II.

Veteribus qvidem non incognitum fuit argentum  
vivum, cum de illo varia in medium protulerunt tam  
Plinius quam Dioscorides, Galenus & alij Græci Me-  
dici; sed in eo omnes conveniunt, qvod infidum,  
exosum & deleterium pharmacum sit: imo Plinius  
Hist. Nat. Lib. 33. Cap. 6. *Vomicam liqvoris æterni ar-*  
*gentum vivum appellavit, & venenum rerum omnium, &*  
*addit: Exest & perrumpit vasa permanans tabe dira.*  
Hinc mirum non est ex illis neminem existisse, qui  
medicamentum adeo diffamatum in usum trahere au-  
sus fuerit: donec tandem Arabes Mercurii usum ad  
morbos cutaneos & ulcera sananda applicare incep-  
runt, & ejus usum admodum efficacem deprehende-  
runt; attamen intra externum ejus usum substiterunt,  
nec interius illum exhibere tutum satis visum est. In-  
gruente autem ante duo circiter sæcula, & qvod ex-  
currit, nova illa & tetra lue venerea, remedia Gale-  
nica constanter eludente, novo medicationis genere  
opus fuit, & Mercurii vires in hoc morbo ulterius ex-  
periri Medicis placuit: primo tamen modo externum  
Mercurii usum adhibuerunt, donec Johannes de Vigo

& Jacobus Carpus ipsum argentum vivum, vel præcipitatum rubrum interne ad salivationem excitandam exhibere cœperunt. Stupuerunt qvidem ad eam rem primo Scholæ Medicæ, & horrore qvodam percellabantur; sed felix remedii successus obtrectatorum calumnias delevit, & ipsos ad similia tentanda viam aperuit: Deinde Theophrastus Paracelsus & alii chymicæ studiosi seqvuti varia circa Mercurium tentamina insti-  
tuerunt, & tot generosa remedia mercurialia in lucem protulerunt, ut, frendentibus licet Galenicis, dirum hoc, sic dictum, venenum in salutare medicamentum transformasse merito visi sint. Fatendum tamen est, illos etiam multa præparata mercurialia commendasse, & nimiis laudibus onerasse, qvæ experientiæ non respondent, sed potius intus data periculosa, infida & ægris interdum funesta esse possunt; unde merito selectus aliquis mitiorum mercurialium habendus est, ne promiscuo usu plus damni qvam emolumenti afferant.

### §. III.

Miram Mercurii in-dolem & partes constitutivas nemo adhuc Philosophorum & Chymicorum indagare potuit unde Fallopius Mercurium *naturæ dixit miraculum*: & re vera vix simile qvid in rerum natura inventur, dum in perpetua fluiditate existens sine omni tamen humiditate est, ita ut merito Chymicis fluor siccus, manus non madefaciens audiat; cui accedit tanta mercurii gravitas, ut, excepto solo auro, reliqua omnia metalla pondere vincat: qva non obstante, in igne adeo fugax est, ut paulo intensiore illius calore sub vaporis fere insensibilis specie penitus exhalet. Physici

sici quidem rem ita explicare tentant, qvod terra solida fusilis & vitrescens cum substantia unctuosa, plus minus acida, mixta in locis subterraneis originem reliquis metallis præbeat, & simili modo ad Mercurium producendum concurrat; qvod a *Bechero in Physica subterranea* & aliis per varia experimenta plenius diductum est. Sed hæc omnia vix ad generalem aliquam de Mercurio ideam formandam sufficiunt, nedum ut ad proprietates ejus & effectus in cætera metalla & corpora animata explicandos, aliquam lucem afferrent. Nemo certe majore studio & magis impigro labore in Mercurii naturam inquisivit ac celeb. Boerhavius, qvod duæ de Mercurio Dissertationes, altera Societati Regiæ Londinensi, altera Academiæ Parisiensi oblatæ, satis testantur: post tot vero & per plures annos continuatos labores, invenit quidem Mercurium solo concussu mechanico verti posse in pulverem nigrum, saporis metallici ænei, cum alias ex se insipidissimus sit; eundem tamen pulverem per ignem iterum ~~&~~ verum hydrargyrum redire. Sic etiam ignis vi actus post 52 destillationes pulverem dedit acrem, rubrum, splendentem, deorsum & sursum purgantem, sed ex unciis XVIII Mercurii modo drachmas quatuor cum semisse hujus pulveris; post quingentas & undecim destillationes plus quidem pulveris receptum, sed idem tamen solo igne, licet majore, iterum in Mercurium versus est, ita ut non nisi grana quindecim fixa remanserint; quæ etiam postea ad leges artis cum plumbo examinata avolarunt, & fixi nihil remansit. Mitto alia experimenta; sed ex hisce tuto satis cum celeb. Boerhavio concludere possumus, naturam Mercurii constantem,

sim-

simplicem in dissimilia separari non posse destillando, nec in fixum & volatile, nec in purum & impurum, nec in fœcēm & defœcatum, nec in elementa diversa; licet id vanis Alchemistarum pollicitationibus adver-  
setur.

#### §. IV.

Mirandum tamen hoc & simplex fluidum metal-  
licum, per se blandum & iners remedium apparens,  
largiore aliquantum usu vel extus applicatum, vel in-  
tus assumptum miro modo corpus humanum aggredi-  
tur, dum illud totum fere mutat, sanguinem fundit &  
dissolvit, & vel per salivationem, vel per alvum, vel  
per sudorem &c., si repetitis vicibus usurpat, edu-  
cit. Causam hujus mirabilis effectus in sanguinem,  
post Pitcarnium, varii celeberrimi viri ex sola gravita-  
te argenti vivi deducere sategerunt: unde Boerhavius  
in Tractatu Med. de lue aphrodisiaca illum sic expli-  
cat: *Argentum vivum quacunque via immistum sanguini vi-  
tali, cum sit sanguine ipso decies & ter ponderosius, agetur  
vi cordis & arteriarum contractione tanto majore impetu in  
compagem sanguinis, ut eam penitus destruat, globos rubros  
resolvat, serosas flavas sphærulas imminuat, reliquasque  
etiam partes ejusdem in minutissimas frangat, & ita in la-  
ticem subtilem, putridum, vasis exeuntem convertat.* Et  
postea: *Tandem & maxime immutabile hoc ipsum fossile vi-  
demus, omniumque fere cognitorum corporum omnium mini-  
me rodens vel acre. Qvibus sane cunctis rite expensis, ap-  
paret vera vis, qva ad expugnandum hoc malum (sc. luem  
venereum) solus efficax, sufficiens solus Mercurius habetur.  
Vera ratio, qvia omnes corporis humores in subtilitatem a-*  
qvæ

quæ convertit, olei tenacitatem dividit, facit hinc, ut evadant omnes adeo dissoluti, specie salivæ, seri diarrhoici, urinæ citæ, vel sudoris, sponte de corpore eliminentur, veteres ita universi expellantur &c.

### §. V.

Sed si pace tantorum virorum dicere liceat, varia sunt quæ repugnant, ut ex sola mercurii gravitate omnes ejus effectus derivare consentaneum sit. Ut enim taceam, Mercurium non adeo præcise in sanguinem agere videri, sed potius in lympham & serum sanguinis, illud attenuando, colliquando, corrigendo & evacuando; certe effectus ille, quem quædam præparata mercurialia, etiam in parva dosi propinata, producunt in corpore humano, vix ex sola gravitate explicari possunt, cum in his pauca grana idem efficiant, quod longe major Mercurii vivi quantitas vix præstare potest. Sic de nobili viro narrat Boyleus, cœcitate langvida & confirmata utriusque oculi laborante, quem Empyricus jusserrat, ut bina grana pulvisculi mercurialis, (quem postea turpethum minerale fuisse dixit) naribus attraheret; unde statim vomitu, sudoribus, sedibus, urina, saliva, lacrymis, decem aut duodecim horarum operatione, adeo commotus fuit, ut caput ejus plurimum intumuerit; tertio tamen aut quarto die post hæc facta gradatim rediit visus, & post mensem philosophicum acutior quam antea factus fuit. Ex qua historia patet, a solo pulvisculi mercurialis attachu in naribus internis omnes mercurii vivi effectus ortos fuisse. Unde celeb. van Swieten, qui etiam hanc historiam allegat Tom. I. Comment. in Aph. Boerb. pag. 208.

9. non immerito dubitat, an argenti vivi efficacia a communibus omnium corporum proprietatibus pendeat, & an non potius singulari ejus naturæ, per experimenta demum cognoscendæ, hæc attribui debeat. Recte igitur concludit: *Sufficit Medico novisse, quid agat argentum vivum corpori applicatum, licet modum, quo agat, ignoraverit.* Multa enim alia sunt remedia, qvorum virtus non magis patet inqventibus. Certe siqvis insolitas hujus metalli proprietates paulo attentius consideraverit, nec adeo miretur, effectus illius tam singulares, promptos & efficaces esse: ut enim cætera taceam, nonne res est attentione dignissima, qvod, ut antea dictum, cum corpus sit ponderosissimum, tam per ignem, nec adeo intensum, non solum volatilis fumi modo in auras dissipetur, sed etiam stupenda adeo exiguitatis particulis polleat, ut omnium metallorum poros (præter ferri) prompte subeat, & singulari partium cohæsionem ita divellat & disjungat, ut sub minima mole Mercurii globulis qvasi innatent, & corpus fere cereæ ductilitatis constituant, qvod infic dicta amalgamatione metallorum quotidie videmus; dum enim densissimorum corporum, velut auri, poros tam facile ingreditur, tenuioribus, qvam ipsa aqua, particulis constare necesse est.

## CAPUT II.

De generali usu Mercurii in variis affectibus corporis humani, & diversis illius præparatis.

Mul-

## §. I.

**M**ultiplicem Mercurii usum esse in variis affectibus corporis humani, nemo, ut opinor, hoc tempore facile negabit; nec sane ad solos affectus veneros, & ad salivationem excitandam virtus illius restrin-genda est, cum in plerisque seru & lymphæ depravati-onibus mirabilem sœpe efficaciam exserat, præsertim vero muciditatem & visciditatem ejus corrigit, atte-nuat & colliquat, glandularum præcipue, & etiam aliorum tubulorum obstrunctiones referat; præterea in-ter phlegmagoga Mercurius dulcis principem fere lo-cum sibi vindicat, unde purgantibus & laxantibus fre-quentius hoc scopo admiscetur, eo qvidem meliore cum successu, quo rarius molestam alvi adstrictionem relinquit, quæ sœpius reliqvorum purgantium, præ-sertim resinosorum, usum inseqvitur. Usum Mercurii anthelminticus etiam extra omnem dubitationis aleam positus est, ita ut ad hunc, tanquam ad sacram ancho-ram, practici sœpe confugiant, ad lumbricos enecan-dos & e finibus corporis expellendos. Taceo jam co-gnitum ejus usum in scirrhis pertinacioribus resolven-dis, in scabie omnis fere generis debellanda, uti etiam repulsa ad cutem iterum propellenda, in ulceribus ca-coëtheis & aliis mali moris, item in cataracta incipi-ente & multis aliis affectibus. Prætereo etiam exter-num usum mundantem, abstergentem, cosmeticum &c. cum de omnibus Mercurii dotibus medicis hic age-re non decrevi, nec etiam arcti Dissertationis limites sinunt. Satis est indigitasse, usum Mercurii in Medi-cina facienda re vera polychrestum & admodum effi-cacem esse, ita ut frustra sœpe ab aliis quibuscunque

remediis id exspectetur qvod ab energia illius effici potest. Nam propter figuram globosam, lævigatam & in minimas partes divisibilem, tum etiam gravitatem omnes fere corporis recessus subit, humores viscidos & immobiles illis inhærentes exagitat & in motum ciet, & fibras motrices impulsu suo & gravitate laceſſendo, ad freqventiores systoles incitat, sicqve celeriorem humorum motum prouocat; unde patet in illis demum casibus usum ejus freqventiorem nocere posse, qvi concitatiorem ejusmodi commotionem non ferunt; e. g. si nimia humorum ejusmodi spissiorum adſit abundanta, & præsertim si viscera interna simul læſa fuerint, & vel ulcerosis corruptionibus, vel scirrhis insanabilibus obſeffa: tunc enim humores ſæpe nimium in viscerum vel aliarum partium nobiliorum substantiam impelluntur, & transitum non inveniunt. Sed hæc Medici culpæ & humorum vitio potius, qvam Mercurio imputanda sunt.

## §. II.

Cum viderent Chymici tantos & tam mirabiles effectus ab usu Mercurii in corpus humanum redundare, hoc ſibi præcipue proposuerunt, ut per diversas præparationes, amalgamationes, solutiones, præcipitationes, ſublimationes, abſtraktiones &c. draſtica ſua vi exueretur, & nimia mobilitate privaretur, ita ut in forma pulveris melius adhiberi poffet. Licet autem Mercurius crudus & vivus parum vel nihil draſticæ violentiæ in ſe contineat, & multo tutius cum ſolo ſaccharo mixtus propinari poffit, qvam plurima ex iſtis præparatis, magnificis qvidem jaſtata nominibus, & magnis

gnis verborum ampullis a Chymicis laudata, sed saepius noxia, infida & periculosa ipso usu reperta, e. g. turpethum minerale, Mercurius præcipitatus ruber, Mercurius vitæ, ab aliis per jocum Mercurius mortis dictus, de quo tamen fatendum est, quod potius productum antimoniale quam mercuriale sit. Nihilominus varia prostant præparata mercurialia, quæ longa & indubitata experientia laudem suam tueri possunt, & quotidiano usu probatissima sunt. Inter haec, ut notissima, nominare placet cinnabarin ejusque varias species, nomine quidem sed usu parum discrepantes, Æthiopem mineralem & mercurium dulcem.

### §. III.

Hæc tria quidem in eo differunt, quod Mercurius in cinnabari a sulphure adeo ligatus & fixatus sit, ut suam agilitatem & mobilitatem fere nimium exuerit; unde certe in majore multo dosi exhiberi debet, quam hodie fit, si in gravioribus lymphæ vel aliis generis nervosæ vitiis aliquid moliendum sit: pauca enim grana pulveri addita potius speciem coloris illi conciliant, quam effectum aliquem notabilem præstant. Tuttissime ad scrupulum unum vel dimidiæ drachmam ascenditur, & sic mirabilem saepè efficaciam resolvendi & sedandi exhibit, modo in pulverem subtilissimum redigatur, & primarum viarum robur non desit; cum alias facile muco ventriculi adhaereat, & pressione sua nimium gravet. Æthiops mineralis magis activæ indolis est quam cinnabaris; dum enim in hoc per extemporaneam commixtionem sulphur cum Mercurio unitur, vim Mercurii non adeo ligat & infringit, qvin

mobilitatem & agilitatem aliquo modo retineat, adeo-  
que majorem penetrandi vim exercere possit: hinc in  
affectibus puerorum convenientissimum est remedium,  
ubi fortiorum mercurialium, minus ligatorum, ope-  
rationem in teneroribus corporibus pertinemus, &  
tam ad lumbricos enecandos, quam varia lymphæ vi-  
tia corrigenda magno cum fructu usurpatur. Nec in  
adultiorum affectibus iners est, modo in conveniente  
dosi, nec parce nimium adhibetur. Hæc ambo vero  
longe agendi vi & efficacia superat Mercurius dulcis ri-  
te paratus, qui ob minus ligatam Mercurii activam in-  
dolem multo potentius operatur, & in humores cor-  
poris humani vim suam exserit, eosdem exagitando,  
colliquando & in motum ciendo. Licet autem medica-  
mentum per se tutissimum sit, majore tamen circum-  
spectione opus est in eodem adhibendo, dum exigua  
doseos mole plus praestat, & in partes tam solidas quam  
fluidas agit, quam reliqua duo majori in dosi adhibita.  
Repetitis etiam dosibus propinatus facile molestam sa-  
livationem exitare potest, praeter intentionem Medici  
agentis. Justis ergo cautionum limitibus usus ejus me-  
rito circumscribendus est; & primo videndum, ut  
Mercurius dulcis legitime preparatus sit, deinde ut be-  
ne trituratus, laevigatus & in minimas particulas divi-  
sus pro usu interno adhibetur; praeterea ne in talibus  
affectibus applicetur, ubi usus ejus quodammodo no-  
cere possit. Sic e. g. in affectibus cancrofis, ulceribus  
scorbuticis & aliis internis, scirrhis sangvineis &c. pau-  
lo largior illius usus merito suspectus est, uti etiam in  
hydropoe, affectibus spasmodicis, hysterics, hypochondriacis,  
arthriticis &c.; nec promiscue gravidis, in-  
fan-

fantibus, senibus vel mulieribus tempore mensium fluxus usus ejus svadendus est.

## §. IV.

Non defuerunt Chymici experti, qvi subtiliore adhuc indagatione Mercurii vim tali modo infringere laborarunt, ut nullam qvidem salivationem usus ejus excitaret, virtutem tamen penetrantem retineret, & tam luem venereum, qvam alias morbos refractarios pari efficacia curaret. In hanc rem varias excogitarunt methodos, qvarum optima variis celeberrimis viris, & inter alias Frid. Hoffmanno visa est, qva stannum vel, qvod melius adhuc, aurum per singularem encheiresin ita intime uniatur cum Mercurio, ut cohibeat qvidem nimium globulorum mercurialium impetum, at vero non adeo figat & obtundat penetrandi vim, qvin idem possit præstari hoc medicamento in sanandis morbis refractariis & rebellibus, ac alias a Mercurio minus ligato exspectatur, fine tamen turbulentis & periculosis commotionibus, qvæ salivationem comitantur. Et medicamentum re vera egregium & penetrantis satis efficaciæ hoc modo parari posse minime negem; sed an omne id, qvod alias a Mercurio magis libere agente effici constat, præstari possit, merito dubito: obstat enim simplex & constans Mercurii natura, & in dissimilia non separanda, ut Cap. I. §. 3. vidimus, qvo minus hoc modo ligatus, & per stanni vel auri partes diffusus efficaciam suam retineat, & in partes corporis humani pari agilitate agat; nam id si fieret, certe non adeo tutum & a salivationis incommodis liberum omnino remedium foret, qvin majore aliquantum dosi

ex-

exhibitum facile violentas commotiones excitaret qvæ alias a mercurialium crudorum usu metuendæ sunt.

## §. V.

Hisce rationibus, ut puto, inducti Practici quidam cordatiiores, potius Mercurii dulcis usum retinere, utpote medicamenti longo usu comprobati, voluerunt; illius tamen vim tali modo cohibere annisi sunt, ut ad alvum salivamqve movendas non adeo ferretur, idqve additione talium rerum, qvæ ipsam virtutem Mercurii dulcis adjuvare possent, ita tamen, ut sine molestia penetrationem & efficaciam suam exsereret. Hinc nata compositio, qvæ in Actis Edinburgensibus (*Medical essays and observations revised and published by a Society of Edinburgh*) Vol. I. pag. 46. sqq. a cl. D. Andr. Plummero sub nomine medicamenti alterantis ex Mercurio proposita, & deinde a variis Practicis summo cum applausu adoptata est. Constat hoc ex æqvalibus partibus calomelitis, sive mercurii dulcis sexies sublimati, & sulphuris aurati antimonii, qvod probe mixtum, mediante lævigatione super marmor, pulveris vel pilularum forma exhibetur. Hujus remediis usum in psora & variis aliis cutaneis morbis utilem expertus est cl. Author, imo in ipsa gonorrhæa virulenta & bubonibus venereis opem attulit sine molesta salivationis excitatione, licet ad grana qvindecim quotidie per aliquot septimanas exhibitum fuerit. Hæc duo simpliciter & sine operoso chymico labore conjuncta remedia laudem re vera merentur, & ipse aliquoties in praxi ad depurandum serum sanguinis tam in inquinamentis venereis, qvam aliis lymphæ depravatio-

tionibus, iisdem exoptato cum successu usus sum. Nec mirandum hoc, cum bina ista, seorsim etiam exhibita, satis efficacia sunt & in variis morbis rebellibus jam dudum cognita & probata: Mercurius enim vim sulphuris antimonii intendit & magis activam reddit, & sulphur e contra Mercurii nimiam agilitatem ita infringit & moderatur, ne ille repetito & continuato usu nimias in corpore turbas excitet.

### §. VI.

Cogitaverunt quidem antea Chymici duo hæc potentia medicamina per varias artes conjungere & unire, ita tamen ut partes noxias, rudiores & minus utilles inde separando, elementa maxime activa conjungerent, & in unum corpus redigerent; hinc varia composita & panaceæ inde emerserunt, magnificis quidem laudibus, ut Chymicorum mos est, ab Authoribus in cœlum elata, sed qvorum plurima ipso usu sæpe infida, incorrecta & intentioni medentis minus congrua reperta sunt, & huic simplici miscelæ sulphuris antimonii & mercurii dulcis longe postponenda, qvæ usu ipso se jam toties probavit. Non jam disqvirere animus est, qvodnam sulphuris antimonii genus ad hanc mixtionem potissimum eligendum sit, sed potius illud judicio practico uniuscujusque relinqimus, cum hoc ad scopum nostrum nihil faciat, utpote qvi polychrestum, egregium & summe activum Mercurii, & præsertim dulcis, usum evincere allaboravimus, qvodqve in multis aliis, qvam venereis, affectibus utile & commendandum sit remedium. Pergimus jam ad singularem qvendam mercurii dulcis usum explicandum,

de cuius certitudine experientia me edocuit, & qvem  
a nemine adhuc hac methodo propositum esse credi-  
derim.

## CAPUT III.

### De singulari qvodam Mercurii dulcis usu.

#### §. I.

**R**ecensitis sic in genere variis Mercurii virtutibus, ad rem medicam pertinentibus, accedimus jam ad peculiarem qvendam usum Mercurii dulcis, quo minima mole, sed repetitis vicibus exhibitus lymphæ vi-  
tia egregie corrigit, stagnationem discutit, mucidita-  
tem resolvit & colliquat, & glandulis eo ipso, ne di-  
cam qvalitate specifica, tonum restituit & obstruc-  
tiones earum referat. Sunt autem præcipue affectus fau-  
cium, & in primis glandularum secretioni liqvidi ad  
fauces lubricandas destinatarum, in qvibus saluberrimi-  
mum illius usum expertus sum, ad infarctum glandu-  
larum & membranæ pituitariæ a materia viscida & pi-  
tuitosa expediendum, & tonum illis debitum restituendu-  
m. Fateor non eqvidem novum esse mercurialia  
in tali statu applicare & purgantibus admiscere; imo  
in qvibusdam casibus, præsertim si aliquid venerei sub-  
esse suspicio est, ad ipsam salivationem excitandam pro-  
ceditur. Sed prima methodus ob brevem & transito-  
riam Mercurii actionem, per purgantium vires præci-  
pitatem, saepe usu suo destituitur, neque solidum &  
con-

constantem effectum producit ; altera ob varias difficultates, salivationis negotium comitantes, vix ac ne vix quidem, nisi urgente summa necessitate, eligenda videtur, præsertim cum affectus oris & faucium, durante salivationis tempore, potius exasperari soleant. Nec est cur vano metu aliquis ab usu mercurii dulcis absterreatur, quasi ille in pulveris forma exhibitus fauces arroderet, vel alio modo læderet, cum illud experientiae non respondeat. Si quis tamen usum ejus in pulvere reformidaret, ille pillularum forma, vel cum mica panis, vel mucilagine gummi tragacanthi involutum applicare posset.

## §. II.

Non diffiteor me casibus qvibusdam felioris successus inductum, nec per ratiocinia a priori remedium hoc applicare cœpisse, licet de virtutibus Mercurii generalioribus, antea jam expositis & huc facile applicandis, in antecessum perswasus fuerim; sed cum cl. Plummero in Tractatu antea laudato puto. Fieri non posse, ut ad cognitionem certam virtutum & effectuum novi alicujus & incogniti remedii in corpus humanum per ratiocinia a priori, quæ dicunt, perveniamus - - certas tamen conclusiones, aut saltim maxime probabiles conjecturas deduci posse ex cognitis qvorundam medicamentorum operibus, ad virtutes & effectus aliorum nondum quidem tentatorum, sed compositorum ex iis, qvorum potentias per repetita experimenta constantesque observationes antea didicimus. Methodus applicandi est, ut unicum mercurii dulcis granum, vel solum, vel cum absorbente qvodam mixtum (nam hoc nihil ad rem facit) qvovis die, & præcipue

circa vesperam exhibeatur; siveque mirum quantum aliorum remediorum vires exaltat, & felicem eorum successum secundat. Nam nec soli mercurio dulci haec tribuo, cum alia simul remedia ad rem facientia semper adhibui, nec huic soli fidendum esse credidi. Ut autem mentem meam eo melius explicem, & hanc methodum clariori luci exponam, tres insigniores casus, ex pluribus mihi in praxi obvias, in medium proferam; unde quavis facile judicare poterit, an successus Mercurio dulci, an vero aliis remediis adscribendus sit, vel an utrisque simul junctis.

### CASUS I.

Vir quadragenarius, temperamenti sanguinei, ex refrigeratione sibi inflammationem quandam faucium contraxerat, cum tonsillarum, uvulae & reliquarum partium adjacentium tumore & rubore, unde deglutitio quidem laesa, & cum dolore aliquo fiebat, cetera tamen sanus & vegetus erat. Huic affectui initio levioribus quibusdam remediis domesticis resistere conabantur aeger, & spes aliqua restitutionis affulgere videbatur; restabat tamen adhuc relaxatio faucium & spuria quaedam inflammatio, cum impedimento aliquanti & dolore in deglutiendo. De his vero non sollicitus &, officio etiam requirente, munia sua alacriter obiens nec frigus vel aeris injurias evitabat, nec diætam in cibo vel potu stricte satis observabat; unde factum, ut iidem affectus se longius, quam omnino exspectasset, protraherent. His quidem motus, sibi aliquantum magis prospicere & cautius procedere incipiebat; nihil tamen ultra molitus, nisi ut aeris injuriis non fre-

qven-

qventer adeo se exponeret, gargarismatibus qvibus-dam parabiliорibus ex herbis emollientibus cum aqua coctis, & forsan uno vel altero laxante uteretur. Sed hisce infarctus ille glandularum minime cedebat, potius malum perstare & jam incrementum indies sumere videbatur, elapso interea fere dimidii anni spatio. Consultus ego fauces cum partibus adjacentibus flaccidas & albidi coloris, mucoqve qvodam obsitas inveni; uvula relaxata & tumida apparebat, & tonsillæ plus solito prominentes duritiem qvandam præ se ferebant, qvasi a materia lenta & viscosa, illas oppilante, provenientem. Enimvero vecte qvodam opus esse judicavi, ut tam diu stagnans & tenacissima pituita resloveretur & discuteretur, idqve, per varia experimenta antea edocitus, non sine spe qvadam rationali, a mercurio dulci, mea methodo applicato, effici posse exspectabam. Ut autem corpus ægrotantis aliquo modo præpararetur, primo largiorem usum ptisanæ cujusdam tepefactæ, ex radicibus sarsaparillæ, chinæ, polypodii, rasura ligni sancti & aliis compositæ per aliquot dies svasi, deinde pillulas purgantes cum granis qvatuor Mercurii dulcis commixtas exhibui; & seqventi die granum unum mercurii dulcis pillulari forma vesperi circa lecti introitum præscripsi; cuius usum porro qvotidie continuare eodem modo injunctum est. Non neglexi interim gargarismata huc facientia in subsidium vocare, maxime tamen ex emollientibus & solventibus cum lapide prunellæ & melle rosato parata; scilicet veritus adstringentia in tanto infarctu glandularum adhibere. Diæta etiam conveniens & aliqualiter exsiccans præscripta est, & ut ab omnibus acribus, a-

cidis, falsis, vino, spirituosis &c. abstineret, monui. Ptisanæ antea descriptæ usus loco aliis potus omni hoc tempore continuatus est, uti etiam gargarismatum, & qvovis decimo qvarco die circiter pillularum purgantium dosis exhibita est. Successus curæ hujus fuit, ut post qvatuordecim dies ab usu pillularum mercurialium non levem symptomatum mitigationem persenserit æger; post sex vero vel septem septimanas plenaria restitutione gavisus fit. Postea, sublato Mercurii dulcis usu, per paucas septimanas in usu ptisanæ persttit, & gargarismata, nunc cum subadstringentibus mixta aliquoties adhibuit; jam vero per plures annos nullas omnino molestias, post hoc malum residuas, persensit.

## C A S U S II.

Juvenis qvidam sangvineo-phlegmaticus, viginti aliquot annos natus, gravi qvodam affectu faucium jam per aliquot annos infestabatur, per vices sæpius recurrente, qvi sub specie anginæ pituitosæ partes faucium deglutitioni & respirationi inservientes occupabat, & tumore ac levi qvadam inflammatione functio-nes horum organorum turbabat, cum copiosa excretione materiæ serosæ & pituitosæ: tandem vero symptomata ita accreverunt & exasperata sunt, ut fere de ægro actum esse videretur. Fauces enim, cum uvla, tonsillis & velo pendulo palatino, ita aggesto humore pituitoso turgebant, ut nec deglutitioni, nec respirationi via superesse videretur: accedebat tantus materiæ affluxus, ut spiritum interdum interciperet, & catarrhum suffocativum qvasi mentiretur. Membrana pituitaria, partes oris internas & reliqvarum par-

partium adjacentium investiens, variis locis læsa & foraminibus qvibusdam pertusa videbatur, dolore satis molesto concomitante. Succurrendum qvidem primo erat maxime urgentibus symptomatibus, præsertim suffocationis periculo, tam per subductionem alvi per clysteres injectos, quam per usum gargarismatum & mixturarum pectoralium resolventium & incidentium; qvibus etiam qvadantenus ex voto peractis, restabat tamen diutius erosio faucium cum tumore & dolore partium & materiæ copioso affluxu. Hisce motus Chirurgus qvidam in consilium adscitus, & forsan venerei aliquid subesse suspicatus, lenem qvandam salivationem instituendam esse sentiebat, ut partes faucium a copiosa hac muci aggestione liberarentur, & erosio faucium sanaretur: restiti tamen huic consilio, copiosorem materiæ affluxum ad fauces, durante salivations tempore, metuens, ut ordinario fieri solet; unde suffocationis periculum augeri necesse erat: proposui autem usum mercurii dulcis in minutissima dosi, ut antea descriptum est, utpote qvem securioris longe, egregiæ tamen efficaciæ fore confiderem. Non arri-debat admodum alteri hoc consilium, utpote qvod lenne nimis, & malo averruncando insufficiens videbatur: sed æger, tutiorem eligens viam, hac præsertim methodo tractari desiderabat. Dicto igitur obediens æger fere eadem methodo, qvæ in primo casu descripta, tractatus est, nisi qvod usus laxantium paulo freqventior fuerit, gargarismatibus etiam plura subadstringentia addita sint, & ptisana vel decoctum magis exsiccans, scilicet lignis qvibusdam additis, usurpatum fuerit; & sic tandem a malo suo plenarie liberatus est,

jam-

Jamqve per sex annos ab hisce molestiis liber & immuni-  
nis, nullum omnino hujus generis incommodum pa-  
titur. Aliq�anto tamen longius temporis spatium re-  
qvirebatur, anteq�am hic æger in integrum restitui  
potuit, tam gravi malo & inveterato obsefus; licet  
post usum duorum circiter scrupulorum mercurii dul-  
cis insigniter sublevatus fuerit, &, continuato adhuc  
scrupuli unius usu, una cum reliquis supra recensitis,  
cum sanitate omnimodo in gratiam rediit.

### C A S U S III.

Vir cholerico-sangvineus, consistentis ætatis, &  
teneriori corporis structura præditus, antea qvidem  
variis congestionibus pituitosis & rheumaticis obnoxi-  
us, ex improviso in gravissimum affectum rheumati-  
cum delabitur, ex pertinaci congestione, inspissatione  
& stagnatione seri ortum trahentem; & affectus qvi-  
dem cum dolore inflammatorio faucium, pectorio  
aurium, & vertigine sæpius recurrente initium sum-  
pferat, postea vero insignis gravedo accessit cum spas-  
modica qvadam artuum tractione, qvæ tempore ve-  
spertino potissimum affligebat: qva parum remittente,  
statim magna relaxatio uvulæ, faucium & ipsius oeso-  
phagi, cum vehementi ejusdem spasmo, insecura est,  
ita ut cibus & potus difficilime pertransirent, & gra-  
vissimam tussim excitarent; interdum etiam, post bre-  
vem in oesophago moram cum magno impetu per os  
& nares rejicerentur. Interea magnam nervorum de-  
bilitatem persensit æger, dum vertigo, visus obscuratio,  
& gustus ac olfactus depravati accesserunt: nul-  
lum autem indicium inflammationis in partibus affe-  
ctis

Etis jam aderat, sed potius partes oris internæ, nempe uvula, palatum pendulum, fauces &c. pallidæ, relaxatæ & siccæ apparuerunt; ex superiori vero pharyngis orificio, sacculi cujusdam speciem repræsentante, pituita qvædam spissa flavi coloris emanabat, qvæ usum loqvelæ admodum impeditiebat, dolor item pressorius circa nasi & oculorum confinia, a muco indurato & stagnante in sinubus frontalibus ortus, continuo sæviebat. Nihil qvidem omissum, qvod in tanta symptomatum congerie lenimen aliquod afferre posset; ita per injectiones in nasum frusta qvidem grandia pituitæ induratæ educta sunt, cum subsequentे qvodam levamine, fauces etiam per convenientia gargarismata & applicata topica medicamina qvodam modo sublevatae sunt; sed res erat brevioris moræ, & nullius effectus constantis; nam semper idem recursus symptomatum fiebat, & eadem suppetiæ quotidie fere repetendæ erant, ut ægro qvodammodo subveniretur. Tandem etiam in hoc casu vires mercurii dulcis experiri, eumque methodo superius commendata propinare decreatum est; nempe unicum granum qvavis vespera exhibendo, non neglectis interim reliquis remediis huc facientibus. Et certe vix scrupulus unus mercurii dulcis absumptus erat, cum ecce! velum palati pendulum cum uvula se retrahere, & pristinum situm reassumere incipiebat, pharynx etiam pone locata una cum faucibus colorem naturalem recipere videbatur; gustus præterea & olfactus in meliorem statum redacti sunt, &, continuato adhuc scrupuli circiter dimidii usu, hæc omnia satis recte se habere visa sunt. Rejectio qvidem cibi & potus per os & nares interdum, licet non adeo

D

fre-

freqventer, recurrebat; sed hoc ex singulari qvadām atonia & relaxatione oesophagi ortum trahebat, nondum debitum tonum & firmitatem, post tam gravem serosorum humorum decubitum, adepti. Varia qvidem alia symptomata in hoc ægro præsentia erant, qvæ opem medicorum reqvirebant, qvæqve sciens prætereo; cum ad scopum meum sufficit ostendisse, usum mercurii dulcis in qvibusdam faucium affectibus singularem opem attulisse, sicut in hoc casu nec spei meæ defuit, idqve sine omni turba & molestia.

### BREVIS EPICRISIS.

Non eqvidem author cuiqvam sum, ut in affectibus inflammatoriis faucium mercurii dulcis usum applicet; sed ex hisce, sincera fide relatis, liqvere puto, eundem in affectibus faucium pertinacioribus, a pituita tenaci, viscida, glandulas obstruente & in iisdem stagnante oriundis, singularem opem præstitis, & constantem effectum produxisse; qvod ab aliis medicamentis adhibitis effici non potuit, idqve sine omnibus incommodis & turbulentis motibus, negotium salvationis comitantibus: neqve enim vel minimum salvationis indicium, vel in eandem propensio sub usu mercurii in dictis ægris apparuit, nec etiam reliqvæ functiones ullo modo turbatæ sunt, sed appetitus, excretiones &c. toto hoc tempore viguerunt. In tertio casu lenis qvidem apophlegmatismus seqvutus est, post resolutionem & attenuationem materiæ lentæ & viscidæ, membranam pituitariam & glandulas obstruentis, sed id tamen sine omni molestia, vel partium oris & faucium intumescentia. Videtur etiam hæc observatio senten-

tentiis eorum adversari, qvi effectum mercurii a sola gravitate deducunt; qvomodo enim, qvæso, unicum mercurii dulcis granum, per 24 horarum intervalla assumptum hoc modo agere potuisset, & sola gravitate humores viscidos ac tenaces corrigere & attenuare, idqve specifice in partibus affectis oris & faucium, sine ulla notabili humorum in reliquis corporis locis commotione & exagitatione. Patet qvoqve hinc summa Mercurii mobilitas & penetrandi efficacia, qvibus ille, etiam minima mole assumptus, intimos glandularum recessus subit, materiam lentam & viscidam subigit & attenuat, & sic ad excretiones aptam & dispositam reddit; qvod certe ab aliis remediis, præsertim Galenicis, operosiori longe apparatu & majori quantitate adhibitis, frustra qvis exspectaret. Nec dubito, qvin in aliis morbis chronicis, a defectu motus & langvore, vel causis sic dictis frigidis, & hinc oriundis infarctibus viscerum interiorum, in primis glandularum, proficientsentibus etiam in minima dosi effectum satis egregium præstare possit; qvod, præsertim in tenera ætate, ipse expertus sum. Forsan igitur laboriosis illis præparationibus, & artificiosis per chymicam artem ligationibus mercurii, e. g. per aurum, stannum &c., opus non est, cum mercurius in tantilla quantitate, & a qva nullæ omnino turbæ in corpore humano metuendæ sunt, exhibitus idem vel plus præstare possit. Firmiter enim perswasus sum, qvicqvid insignioris & penetrantioris effectus sumptuosa hæc & tantum venditata composita efficiunt, id maximam partem mercurio deberi; cuius simplex & constans natura per talia addita vix alterari, vel in melius mutari potest. Sed de

de his plura scribere supersedeo, id unice addens, male ægris suis illos Medicos consulere, qvi potentiora & generosiora ejusmodi medicamina, qvemadmodum mercurialia, martialia, chinata, opiata &c. fere in totum rejicere, & ex penu medico proscribere tentant, metu gravioris noxæ, vel mali inde metuendi: nam faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant, dum officiosa sedulitate & exspectatione ægros suos defagiant; qvibus tamen raro morborum chronicorum pertinacia vincitur. Talia certe medicamenta, si manu periti artificis administrantur, tantum abest, ut aliquid habeant periculi, ut ad illa, tanquam ad sacram anchoram, cordatis Medicis sæpe fit confugiendum.



